Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 475
Quelle:
Copyright:

re, referri possunt. Videamus singula. I. *Incipit liber S. effrem diaconi.* Initium: *Gloria omnipotenti Deo, qui os nostrum superno nutu aperuit* &c. Ανεκδοτον ratus *Laur. Alex. Zacagnius* Bibl. *Vatic.* Praefectus e Codd. *Vatic.* et *Casanat.* inter *Monumenta vet. Ecclesiae graecae et lat. Romae* 1698. p. 106. 4. edidit, ignarus nempe praeventum se plus quam integro seculo ab homine *Germano.* Objacet enim mihi *Coloniensis* Editio Opusculorum S. *Ephraem* anno 1547. 8. quam *Melch. Novesianus Guil. Hittorpio* Abb. Monasterii *vet. Montis* inscripsit, in qua p. 44. totidem verbis habes Sermonem nostrum *de Resurrectione*, ut ibi audit, *de Judicio, de Regno Coelorum et de Munditia Animae.* Ignoraverit autem *Zacagnius* Editionem hanc *Colon.* at *Romanam* nosse poterat curatam a *Ger. Vossio* a. 1589—97. f. quae pariter Versionem nostram T. III. exhibet. Neque enim, quod ait in Titulo *Vossius, nunc recens Latinitate donata*, ad omnia, quae tribus ejus *Tomis* continentur, extendi debet.

II. *fol.* 5. p. 2. Liber, qui apud *Novesianum* p. 52. inscribitur: *De Beatitudine Animae*, et nobis, ut illi, incipit: *Beatus qui odio habuerit hunc mundum* &c.

III. *fol.* 9. Liber, qui apud *Novesianum* inscribitur p. 58. *de Poenitentia*, et incipit: *Dominus noster Jesus Christus, qui descendit de sinu patris* &c. Habetur etiam versus ab *Ambrosio Camald.* in elegantissima Editione XIX. Sermonum *Florentiae apud Antonium Bartholomaei Miscbomini* 1480. *fol. g. II.* 4. et in alia *s. l. et a.* 4. min. quam *Romanam Euchar. Silber* puto.

IV. *fol.* 12. p. 2. Liber, quem *Novesianus* p. 65. *de Luctamine spirituali* inscribit, cujus initium: *In luctaminibus hujus seculi nullus sine agone* &c. Extat jam etiam apud *Vossium* T. II. et tamen a *Zacagnio* pro inedito vulgatus *l. cit.* p. 114.

V. *fol.* 16. p. 2. Sermo a *Novesiano* inscriptus p. 71. *de Judicio extremo.* Incipit: *Venite dilectissimi fratres, exortationem meam suscipite* &c. Alia *Ambrosii Camald.* versio in Edit. *Florent. cit. fol.* b. V.

VI. *fol.* 17. p. 2. Libri II. a *Novesiano* p. 1. inscripti *de Compunctione Cordis.* Incipit prior: *Dolor me compellit edicere, et iniquitas mea comminatur mihi* &c. Finit posterior: *et gloria spiritui sancto, qui saluauit nos. Amen.* Legit Editio *Novef. qui renovavit nos.* Atque in universum variat quandoque lectio, pro qua dijudicanda ad Textum syriacum, aut saltem graecum, ubi is habetur, recurrendum foret. Aliam horum II. Librorum versionem *Ambrosii Camald.* exhibet Editio *Florent. cit. fol.* C. II. Aliam vetustiorem *s. l. et a.* 4. existere memini, quae tamen ad manum non est, quaque Versionem nostram, non vero *Ambrosianam*, contineri autumo. Ceterum de Nostro, e. jusque Scriptis conferri potest *Fabricii Bibl. Gr.* L. V. c. 2. §. IX.

p.